



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1656

§. 283. Inuaserat enim eas timor & pauor. v. 8.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45533

Petti in eaprimatum: nec curat vniuersorum Dominus salutem, eorum
qui per media ab se constituta saluari recusant.

§. 281. Ibi eum videbitis, sicut dixit vobis. v. 7.

Neque iste Doctor cælestis neque discipulæ fuerunt de numero Pro-
testantis Ecclesiæ. Ille enim allegat dicta & haec recipiunt probationem per
dicta. Reformata turba, non credit: nisi dicat Doctor: sicut scriptum est, &
Doctor nihil ibi debet credere ipse vel proponere nisi quod scriptum est.

Deus meus gratias ago tibi, quod non sim in illâ turba hominum, quæ
nihil credit nisi sit scriptum: & quod scriptum est ut placet torquat, ver-
sat & reuersat, donec tandem nihil exeat. Sequor te Domine: quicquid di-
xisti vel signo alio indicasti, credo: non habeo tibi præscribere quomodo
me doceas.

§. 282. At illæ exeuntes fugerunt de monumento. v. 8.

Ad mandatum Doctoris sui exeuntes de sepulchro mulieres visæ
sunt sibi ex equaleo esse ablatæ, quia steterant & audierant & viderant o-
mnia consternatae, non ausæ se mouere præ insolentia rei, quæ sibi euenie-
bat. Liberatae ergo isto prælo cordis sui sicuti auiculae de laqueo non re-
spectabant, sed quasi volatu se subripiebant visioni luæ, nec sibi ipsis fere
verbum audebant loqui.

Reuera passio Timoris est potens passio, non miror ego aliquos apo-
plexia tactos in subito metu, nec miror in lapidem conuersam esse
pauore vxorem Loth, nec aliquos canos esse factos, aut subito extintos.
Tuigitur Domine, creator meus & Dominus vniuersæ carnis, obsecro, mi-
tiga in me passionem hanc ne vñquam ea tentatus peccem, Ne permittas
tam grauiter me terri, vt inde pericliter de salute.

§. 283. Inuaserat enim eas timor & pauor. v. 8.

His verbis exprimit pathetice passionem, quam modo dicebam fœmi-
nas fuisse affectas, nam indicat, sic in eis fuisse actum, ac si ciuitas ab hoste
esset peruasa, non strepitu armorum sed anxietate.

Deus meus tu quidem creasti passiones nostras in quantum sunt quali-
tates animi seruientes voluntati, sed quod in eis inordinatio est ita vt
rationem turbent hoc est additamentum Adam, hoc inimicus homo fecit.
tua igitur gratia succurre ne nos inuadant vt hostis & depopulentur.

§. 284. Et nemini quidquam dixerunt, timebant enim.

Sequitur nunc malus effectus indomitæ passionis, nempe suppressio
verbi & nuntij, quod fœminis erat commissum. siquidem rem tantim o-
menti